


AD ILLUSTRISSIMUM

ECCLESIÆ PRINCIPEM

D. D. CLAUDIUM-MARCUM-ANTONIUM

APCHONIUM,

DIVIONENSEM EPISCOPUM

RECENS IN AUGURATUM,

O D E.

RELIGIO APCHONIUM SIBI ASSERENS.

QUALIS vetuſto ſidera vertice
Quæ tangit altis Alpibus æſculus
Injurioſi damna ferri,
Atque decus capitis reciſum

Novis reſarcit denuo ſurculis,
Et longa vivax ſæcula permanet:
Ac durat adverſùs procellas
Et Boreæ rabiem furentis:

…IOTECA NAZ. ROMA …EMANUELE

Proles ſupremi non aliter Patris
Sublime tollens Relligio caput
Longum propagat ſe per ævum
Uſque novo rediviva fœtu :

Indeſinenti ſcilicet ordine
Sacrum virorum continuat genus ,
Quod prole diffundens perenni
Perpetuum decus addat aris.

Hinc ipſa dudum , pectore ſub tuo ,
PRÆSUL , futuri provida , BUHERI
Senſus locârat : queis amatum
Exprimeres penitùs Parentem :

Et morte luctus quos faceret ſuâ ,
Tu Præſes aris Diviacis datus ,
Lenire poſſes , cum maneret
BUHERIUS , duce te , ſuperſtes.

At Diva , nobis quæ modò te dedit ,
Jam deſtinavit Relligio diu ,
Cum caſtra ſectantem profana
Haud patiens : Meus , inquit , eſto.

Ut dixit , altum ſcandit ad æthera ,
Summique ſiſtit ſe ſolio Patris :
Coramque ſupplex , annuentis
Auribus has dedit ore voces :

Supreme Cœli Rector & Arbiter ,
Qui me paterno progeniem ſinu
Foves amatam , ſupplicantis
Neu renuas pia vota Natæ.

Sic ergo nobis APCHONIDES perit ?
Sic , quas alebam , ſpes rapiunt Noti ?
Ah ! mutet , oro , mîque ſubdat
Propoſito meliore mentem.

Cum Marte ſævo non bene convenit
Hic qui renidet moribus aureis
Vultuque candor , nec ſuperbi
Simplicitas inimica faſtûs :

Blandi nec oris mellifluus lepos;
Ultró ve cunctis obvia comitas,
Cui priſca nil obſtat Parentum
Nobilitas, generiſque fulgor.

Iſto latentes pectore opes mihi
Debentur uni, ſintque meæ, precor.
Mî fronde lauros incruentâ,
Mî parient ſine cæde palmas.

Haud quippe telis ſanguineis mei
Sternuntur hoſtes, enſibus aut feris:
At fraudis expers unus illos
Vincit amor ſubigi volentes.

Cui pectus ergo candida Veritas
Et juncta finxit Juſtitiæ Fides,
Blandùmque ridens ore Virtus,
Suadaque lenè fluens labellis,

Illo quis armis aptior eſt meis?
Quem noſtra poſcant bella magis Ducem?
Ut corda noſcet Marte amico
Innocuiſque ferire telis!

Devicta blandis illiciis meum
Ut læta mittet pectora ſub jugum,
Noſtrîque amorem, carus ipſe,
Lenibus imperiis jubebit!

Tales patronos caſta Fides petit,
Taleſque Virtus alma ſatellites:
Iſtis, ut olim, nunc triumphans
Vindicibus, mea jura firmo.

Per ſi quis ergo pectus amor tuum,
Per ſi qua noſtri cura movet, precor,
Profana mutet bella ſacris
Nata ſibi tua quem repoſcit.

Sic fatam, Olympi qui ſolio ſedet
Natam benigno lumine reſpicit:
Eſtoque voti compos, inquit:
Magnus erit petiiſſe fructus.

Exinde pignus te ſibi traditum
PRÆSUL, ſacrato diva tulit ſinu:
Certamque tutelam advocare
Diviadûm properavit aris.

Ut fama venit nuntia, publicam
Quis temperavit lætitiam modus?
Quantâ ſonabat laude nomen
Cuncta tuum volitans per ora!

Paſſim ſacratis pendula turribus
Mox æra feſtos ingeminant ſonos:
Et gratulantûm mille plauſus
Lætifico recinunt tumultu.

Quod nuntiabat lux bona gaudium
Commune cunctis, quiſque ſuum facit.
Proles amatum ſic reviſit
Quóque diu caruit, Parentem.

Optans ab illo te reducem die
Ut quiſque vultus expetiit tuos!
Ut te morantem mille votis
Mille rogans precibus vocabat!

At fauſta votis adfuit en dies:
Tandem frui te jam licet. O diu
Feras amatus ſacra natis
Jura Parens, ovibuſque Paſtor!

Offerebat Collegium Divio-Godranium Societatis JESU,
Ann. M. DCC. LV.

DIVIONE, apud Viduam PETRI DE SAINT, Regis, D. D. Epiſcopi & Collegii Typographi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE